J. F. Witte

Einladungsschriften
zu den Schulfeierlichkeiten
des Gymnasiums zu Salzwedel,

enthaltend

Aufsätze pädagogischen und literarischen Inhalts

und

Nachrichten über das Gymnasium.

Herausgegeben
von
Johann Friedrich Danneil,
Rector des Gymnasiums.

Siebentes Stück,
für das Jahr 1832.

1. Commentatio de Liv. XXII, 48 fin., auctore J. Fr. [redacted]
2. Chronik des Gymnasiums von Ostern 1831 bis dahin 1832.
3. Beilage, enthaltend einige Bemerkungen über Körperbildung durch die Gymnastik.

Salzwedel,
gedruckt bei A. Schuster.

Liv. XXII, 48 fine vulgo ita legitur:

„Quum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala jam spe „proelium esset: Hasdrubal, qui ea parte praeerat, subductos ex „media acie Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna „erat, ad persequendos passim fugientes mittit; Hispanos et Gal„los pedites, jam Afris prope fessis, caede magis quam pugna, „adjungit."

Hunc locum corruptum esse omnes fere editores viderunt, quare alius alia conjectura genuinam scripturam restituere conati sunt; neque tamen, etiamsi plerique summa audacia delerent alia, alia adderent, quisquam omnes difficultates ita removit, ut in ejus emendatione acquiescere possimus. Quamobrem nobis, hac programmatis latine scribendi necessitate potius imposita, quam opportunitate oblata, operae pretium videbatur, primum singulorum interpretum, quotquot innotuerunt, opiniones et conjecturas recensere ac deinde aliam interpretandi emendandique viam ingredi, qua id effectum iri speramus, ut omnibus disputationibus finis tandem imponatur.

Primus Glareanus, quod Livius h. l. de sinistro cornu Romano et dextro Poenorum loqueretur, pro Hasdrubal legendum esse Maharbal putavit; neque sententiam mutavit, quum

pergeret, sane ex Polyb. III, 116. *) constare, Hasdrubalem a sinistro cornu in dextrum advectum; quod si idem Livius cogitaverit, haud dubie legendum esse qua parte pro qui ea parte; sed priorem opinionem sibi magis probari addit. At vero ut Livium non raro prorsus aliter res gestas tradere atque Polybium facile concedimus, ita nostro loco hos auctores ita inter se dissentire, ut Hadrubalem alter a sinistro cornu in dextrum se contulisse, alter, quamdiu pugnabatur, in sinistro mansisse scripserit, haudquaquam statuere possumus; primum quod Hasdrubalis nomen constanter omnes codd. exhibent, ut corruptionis ne suspicio quidem sit; deinde quod de Hasdrubalis adventu in dextrum cornu, quippe quem maximi momenti ad Romanorum sociorum equitatum, cui Numidae oppositi erant, fugandum fuisse apud Polybium legamus, **) vix fieri potuit, ut auctores variarent; tum quod idem ille, qui Numidas dimisit, hoc facto Hispanos et Gallos pedites in mediam aciem ducit, quod quomodo Maharbal facere potuerit, quippe qui in dextro cornu instructus Gallos et Hispanos nec habuerit principio pugnae, nec postea acceperit, immo vero ne viderit quidem, nullo modo intelligitur; postremo quod id ipsum Hadrubalem fecisse Polybius, praeterquam quod pro peditibus equites habet, cum summa ejus imperatoris laude tradit, ***) neque enim quisquam librarium, qui id apud Polybium

---

*) Ἐπεὶ δ' οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἀποκτείναντες τοὺς περὶ τὸν ποταμὸν ἱππεῖς πλὴν παντελῶς ὀλίγων, παρεβοήθησαν ἀπὸ τῶν εὐωνύμων τοῖς Νομάσι· τότε κ. τ. λ.

**) Antequam Hasdrubal auxilio Numidis venisset: μέγα μὲν οὔτ' ἐποίουν, οὔτ' ἔπασχον; sed cum adveniret: τότε προϊδόμενοι τὴν ἔφοδον αὐτῶν (τῶν περὶ τὸν Ἀσδρούβαν) οἱ σύμμαχοι τῶν Ῥωμαίων ἱππεῖς, ἐγκλίναντες ἀπεχώρουν Polyb. III, 116.

***) III, 116. ἐν ᾧ καιρῷ (fugientibus Romanis) πραγματικὸν δοκεῖ

legerit, mutato Maharbalis nomine, idem Livio obtrusisse sibi persuaserit. Jam vero alteram Glareani conjecturam a Strothio probatam esse miror. Nam si Livius dixisset: Hasdrubal, qua parte praeerat, illud de uno cornu sinistro intelligi posse patet; saltem addendum erat tum, quod ipsum Bauero in mentem venisse cognovimus, quum nondum Hasdrubalem inde, ubi initio praefuerat, abisse dixisset. Verum ea parte sanum esse apparet, quia non aliter de eodem cornu dextro ea, quae sequuntur intelligenda esse divinare possumus. Quare Glareanum nihil prorsus ad h. l. recte constituendum effecisse luculenter demonstrasse mihi videor. Huc accedit, quod ille longe minimam verae difficultatis partem attigit; nam nec quomodo Numidae ex media acie subducti dicantur, nec unde Galli et Hispani pedites occurrant, ille curat, quamquam ea cum toto rerum statu minime conveniunt. Quod etiamsi Glareano et Sigonio, cui et ipsi hae quaestiones non in mentem venerunt, ejus rei venia dari potest, nulla tamen excusatio Strothio debetur, qui earum difficultatum ab Gronovio admonitus alteram illam Glareani conjecturam amplexus est.

Sed antequam J. Fr. Gronovii acumen difficultates, quibus vere h. l. laborat, indagavisset, Sigonius etiam magis, si fieri posset, a vero aberravit, quum pro ea parte vellet laeva parte. Nam si Hasdrubal etiam tum laevo cornu praefuisset, quomodo fieri potuit, ut ea ipsa faceret, quae h. l. fecisse dicitur?

ποιεῖν καὶ φρόνιμον ἔργον Ἀσδρούβας· θεωρῶν γὰρ τοὺς Νομάδας τῷ τε πλήθει πολλοὺς ὄντας καὶ πρακτικωτάτους καὶ φοβερωτάτους τοῖς ἅπαξ ἐγκλίνασι, τοὺς μὲν φεύγοντας παρέδωκε τοῖς Νομάσι, πρὸς δὲ τὴν τῶν πεζῶν μάχην ἡγεῖτο, σπεύδων παραβοηθῆσαι τοῖς Λίβυσιν.

sin vero jam in dextro cornu erat, non potuit eo ipso tempore laevo cornu praeesse. Apage igitur hanc conjecturam, quam ineptissimam esse quivis vel mediocriter doctus videt! Illud tamen melius quam Glareanus opinatur potius, quam perspectum habet, Livium h. l. non dissentire cum Polybio. Sed ne hoc quidem demonstrat ex quibus Livii verbis appareat (et profecto non apparet, si antiquam scripturam retinemus, ac minus etiam, si illius conjecturam recipimus); nec omninò illud, quod contra Glareani opinionem optime statuas, verum est, sed aliqua inter eos discrepare videbimus.

Ita hunc locum nec intellectum nec emendatum accepit J. Fr. Gronovius et primus pro summo ingenii sui acumine, quibus difficultatibus laboraret, vidit et indicavit, ut supra memoravimus. Deinde quum rem Polybio auctore breviter exposuisset, medicinam adhibere conatus est. Ac primum quidem facile esse, ait, restituere Hispanos et Gallos equites, quorum loco vulgo leguntur pedites. *) Quod etsi non negaverim, quum hae voces non raro commutentur (vid. Drakenb, ad Liv. XXXVII, 40, 5.): non tamen, ubicunque leguntur, ejus commutationis suspicionem esse movendam dixerim, nam multo saepius librarii recte quam perverse eas scripserunt. Quare ut haud magna religione tenemur, quominus pro peditibus restituamus equites, ita antequam corrigamus, meliusne pedites retineantur, videndum est, id quod non statim dijudicare potest, qui antecedentia verba non omnino sana esse censet, propterea que in iis aliquid corrigere vult;

*) Obiter Klaiberum, qui nuperrime Livium in sermonem patrium vertit, reprehendimus, qui hac una emendatione omnes difficultates remotas fore opinatus est. Poterat is, si laudabilem Heusingeri conversionem inspexisset, id quod sane debebat, ejus viri verbis edoceri, quid ad h. l. restituendum opus esset.

immo vero ei vel maxime cavendum est, ne commutatis peditibus sibi veram emendandi viam intercludat. Atque id, si quid video, Gronovio accidit. Sed is deinceps pergit: „superiora mutare arduum. Desiderabatur tale quid: Asdrubal, qua parte praeerat, victor, laevum quoque Romanorum cornu adortus pari fortuna, Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit: Hispanos et Gallos equites jam Afris prope fessis, caede magis quam pugna, adjungit.“ In his videmus ea omissa, quae maximam difficultatem habent, subductos et media; nodum igitur Gronovius, qui erat solvendus, dissecuit atque id modo effecit, ut verbis, quibus Livius uti poterat, eandem rei gestae imaginem, quam Polybius depinxit, intueamur.

Eandem viam ingressi sunt Ant. Perizonius et Conr. Heusingerus, quorum ille in margine Livii ita legendum esse censet: Hasdrubal, qui victor ad eam partem penetraverat, subductos ex acie Numidas cett.; hic, utili rerum expositione praemissa, hanc conjecturam probabilem reddere studet: Hasdrubal, qui ea parte, qua vicerat, relicta, in dextrum cornu transierat, quum ejus adventu superior etiam factus esset Maharbal, qui ea parte praeerat, subductos ex impedita acie N. cett, ac deinde pro peditibus equites restituit, id quod ipsam rem docere dicit. Vix est, quod hujusmodi conjecturis nihil prorsus profici, nec attinere earum numerum ita augeri moneamus. Quam vero aciem, unde Numidae subducantur, Heusingerus impeditam dici voluerit, nec ipse docuit, nec ex re ipsa apparet.

Crevierium porro Drakenborchius scribit haec verba omnino corrupta esse fateri et pro deploratis habere, quae ad sensum necessarium sine librorum ope refingi nequeant. Is igitur non so-

lum, quod omnes, qui conjecturis audacissimis locum restituere conabantur, senserunt, libere professus est, sed etiam optime fecit, quod ab simili emendandi ratione abstinuit.

Drackenborchio denique ipsi, quamquam nihil se definire dicit, tamen non ita improbabile videtur, Livium sui oblitum hic aliquid humani passum esse. Ejusdem enim erroris etiam alibi exempla occurrere. Verum quis ferendum esse putet, hoc ita Livio objici, ut non statim indicetur, qua in re erraverit? Neque enim si interdum, quod tamen raro, ut in tanto opere, accidit, Livium errasse viderit, ideo cuivis errori, etiam turpissimo, obnoxium eum fuisse, aut fieri potuisse, ut inania verba effunderet, atque locis tam vicinis, non interjecta aliarum rerum narratione, adeo repugnantia conjungeret, probabile esse credat. Hujusmodi vero illud humanum est, quod Livio accidisse statuendum est, nisi alia emendatione et interpretatione eum hoc crimine liberemus. Nam primum si Hasdrubalem ea parte i. e. dextro Poenorum cornu praeesse dicit, hunc non ab laevo cornu in dextrum advectum esse, sed ab initio eundem locum obtinuisse scribit, quem Maharbali datum esse c. 46 legimus; deinde quum hoc ipso capite Numidas in dextro Poenorum cornu pugnantes fecerit, sequitur, Hasdrubalem Numidis praefuisse, quem c. 46 Hispanos et Gallos equites habuisse et c. 47 cum his ipsis sinistra parte Romanos equites occidione occidisse vidimus; tum Numidae, quos in dextro cornu stetisse et c. 46 et in ipso hujus capitis initio dicit, jam e media acie, ubi nunquam fuerunt, subducuntur; postremo quamquam Hispani et Galli pedites, quos in media acie Afris interpositos et cunei forma, ut a cetera acie aliquantum prominerent, instructos priore capite conspeximus ac deinde cum Romanis legionibus congressos et profligatos legimus, jam in dextro cornu apparent et mediae aciei, ubi antea fuerunt, adjunguntur; neque ullo tamen verbo, quando aut quo duce locum mutaverint, indicatur. Nae illi vehementer errant, qui tantum stuporem Livio inesse credant!

Qui-

Quibus omnibus ita expositis et examinatis, si nihil aliud, hoc certe assecutus esse mihi videor, ut intelligatur, necdum quidquam ad h. l. recte intelligendum et restituendum profectum esse, nec eundem ita, ut vulgo legitur retinendum, nisi Livium summi stuporis accusare velimus; ergo aut omnino tacendum de eo, quasi non legatur apud Livium, aut alia via emendandum. Neque vero mihi, donec aliquid spei superest, desperandum videtur, sed omnia tentanda, ut probabilis certe intellectus aperiatur.

Ac primum quidem, quum omnes fere interpretes inde ab Gronovio in eo peccasse videantur, quod Livium ex Polybio corrigendum censebant, unde audacissimae illae, quas memoravi, conjecturae ortae sunt: ante omnia cognoscendum est, num Livius Polybium in pugna Cannensi referenda omnino secutus esse videatur. Nec cuiquam fore dubium spero, qui attento animo utrumque legerit, quin Livius in multis rebus alios auctores illi praetulerit, in multis, etiamsi Polybii narrationem agnoscere nobis videamur, tamen quaedam haud levia immutaverit aut reticuerit. Nam ut omittam ea, quae pugnam antecedunt, in quibus multa discrepant, p r i m u m, quod Maharbalem Livius dextro cornu praefuisse dicit, Polybius Hannonem, etiamsi haud multum ad rem facere censeas, id quod non prorsus concesserim, quum Maharbal haud dubie melior dux fuerit, ex eo tamen evidentissime apparet, Livium non unum Polybium inspexisse; d e i n d e de acie instruenda, cujus rei Polybius expressam imaginem habet, Livius ita loquitur, ut, si minus aliam rem, tamen eandem ita intueamur, ut, quanta fuerit Hannibalis prudentia, non appareat; t u m equestri proelio in sinistro Poenorum cornu exposito, quod fere unum prorsus ita, ut Polybius, quamquam caedem paullo minorem facit, refert, quum ad mediae aciei pugnam accederet, initio quidem Polybium ante oculos habuisse videtur, quamquam quod ille fecit, ut, quam idoneis consiliis Hannibal aciem bene instructam regeret, quanta te-

meritate Romanorum duces agerent, proponeret, hic non solum neglexit, sed fortitudinem Romanorum in Gallis Hispanisque propulsandis laudavit; primo autem impetu, quo Romani vincunt, enarrato, oculos suos a turpi Romanorum clade videtur avertisse; neque enim, quomodo Romani vincantur, videmus, sed id factum esse legimus. Adeo Livius Polybio uti noluit. *) Accedit, quod Hadrubalem denique cum equitibus subvenientem Romanas legiones saepius undique incurrendo ita perturbasse, ut animis caderent, Polybius scribit; Livius contra, quum Hasdrubal adveniret, Afros caede magis quam pugna fessos fuisse refert. Postremo ea, quae in dextro Poenorum cornu gesta sunt, prorsus aliter Livius retulit. Neque enim Polybius fraudem illam Numidarum, qui transfugarum specie ad Romanos transvecti, ab iisque recepti, deinde certamine orto eos a tergo adoriuntur, novit. Hoc igitur Livius ex aliis fontibus hausit; hoc autem uno addito pugnam illa parte longe aliam fieri necesse est. Nam Romani, quos Hasdrubalis adventum prospicientes fugisse Polybius scribit, nunc circumventi ancipitique certamine pressi fugantur. **) Non dixerim ea omnia Livium pro lubitu immutasse, aliis additis, aliis omissis; sed tamen quum in omnibus fere rebus, quae Romanis honori sunt, eum cum Polybio consentientem, dissentientem in iis, quae Romanorum vel ducum imperitiam et temeritatem vel militum ignaviam comprobant, videamus: non possumus, quin, partium studio, populariumque amore commotum, iniquiorem eum fuisse in hostes, ac nimis favisse Romanis statuamus. ***) Ne tamen pro-

---

*) Quamquam alias (XXX, 45. XXXIII, 10) satis honorifica judicia de eo tulit.

**) Etiam quod Livius cap. 49 Paullum primo statim proelio funda graviter ictum esse scribit, ab aliis auctoribus accepit; nec eundem jussisse ad pedes descendere equites, nec Cn. Lentulum cum suo periculo voluisse consulem servare, multaque inter eos generosi animi verba facta esse, Polybius tradidit.

***) Valerius tamen Maximus (VII, 4, 2) pugnam Cannensem prorsus male

pterea Livium prorsus contemnant, etiam atque etiam admonendi sunt severiores harum rerum judices. Neque enim ille fidem historicam violare sibi videbatur, si Romanos auctores secutus ea narraret, quae horum testimonio niterentur, ac praeterea longissime a veritate abesse putabat ea, quae non cum Romana indole, qualem sibi finxerat atque in se ipso sentiebat, congruerent. *) Qua in re etiamsi eum errasse facile confiteor, tamen idem Livium, ut qui Romanus fuerit, nequaquam modulo aliunde petito esse metiendum intelligo. **) Sed hic locus latius patet, quam qui hujus programmatis angustiis absolvi possit.

Quum igitur Livius in iis rebus, quas diximus, a Polybio recesserit, quae est tanta fiducia, Livii verba esse restituta, si quacunque ratione, ut cum Polybio consentiat, effecerimus? Quare non jam Hispanos et Gallos pedites mutandos cum equitibus, quos utique Polybius habet, sed, sicut alia, ita hoc quoque Livium aliter atque Polybium tradere ratus, eos retinendos esse ac videndum, quid inde ad hujus loci intellectum sequatur, censeo.

narravit, quum partem copiarum Punicarum inter ipsum proelii tempus Hannibalis jussu de industria fugisse, legionemque Romanam, quum sequeretur, a reliquo exercitu abruptam ab iis, quos Hannibal in insidiis collocavisset, trucidatam esse scribit. Non ita sane Livius. Sed ille rei gestae rationem depravavit, ut turpissima clades Romanis minori dedecori esset. Ita enim concludit: „Haec fuit Punica fortitudo, dolis et insi„diis et fallacia instructa. Quae nunc certissima circumventae virtutis „nostrae excusatio est, quoniam decepti magis quam victi sumus."

*) Id quum fuerit Romanorum ingenium, ut nihil crederent, quod Romani nominis gloriae officeret, incertamque famam gravissimi auctoris testimonio in ejusmodi caussa praeferrent, ac fortasse nonnunquam res gestas consulto depravarent: Magnopere cavendum est, ne illis nimiam fidem tribuamus. Polybio vero in rebus belli Hannibalici eo major fides debetur, quum multa ab ipsis Carthaginiensibus acceperit. Vid. Polyb. IX, 25.

**) Quo animi sensu Livius bellum Hannibalicum scripserit, ipse ingenue fatetur XXX, 1.

Ac ne equites Livium voluisse dicere credam, vel hoc me movet, quod Hadrubalem Gallos Hispanosque Afris adjunxisse idem dicit. Nam etiamsi equites peditibus adjungi alias recte dixeris, velut in itinere vel ad expeditionem conjunctis viribus faciendam vel in acie instruenda ante pugnam: nunquam tamen equites in ipso impetu faciendo se peditibus adjungere possunt, quum equitum impetus prorsus alia ratione fiat atque peditum. Atque quam non conveniat equitibus adjungendi verbum, optime ex Polybii verbis apparet, quibus Hasdrubalem cum equitibus suis, auxilio Afris venisse ita tradit: *Προσπεσὼν δὲ τοῖς Ῥωμαϊκοῖς στρατοπέδοις κατὰ νώτου καὶ ποιούμενος ἐκ διαδοχῆς ταῖς ἴλαις ἐμβολὰς ἅμα κατὰ πολλοὺς τόπους ἐπέῤῥωσε μὲν τοὺς Λίβυας, ἐταπείνωσε δὲ καὶ κατέπληξε τὰς ψυχὰς τῶν Ῥωμαίων.* Quomodo tandem hi equites ita incurrentes peditibus adjuncti sunt?

Jam vero si pedites Livius dixit, unde illi nunc in dextro cornu apparent? Erant enim, ut ante memoravi, in media acie, ita ut medii Afris interpositi cuneo aliquantum prominerent; sed eos Romani primos adorti mox impellunt et in fugam dant. Quibus fugatis pugna cum Afris utrinque incurrentibus committitur. Quid autem Galli atque Hispani pedites inde fecerint, aut ubi manserint, nec Livius nec Polybius dicit. Sed tamen apud hunc, quam scribit (III, 115): (*οἱ Ἴβηρες καὶ Κελτοὶ*) *τῷ βάρει θλιβόμενοι κλίνοντες ὑπεχώρουν εἰς τοὐπίσω, λύσαντες τὸν μηνίσκον· αἱ δὲ τῶν Ῥωμαίων σπεῖραι κατὰ τὴν ἐκθυμίαν ἑπόμεναι τούτοις, διέκοψαν ῥαδίως τὴν τῶν ὑπεναντίων τάξιν,* conjici licet, disruptam eorum aciem se adjunxisse Afris proxime utrinque instructis; Livius autem, quum c. 47 hoc tantum dicit, Romanos eorum terga cecidisse, nequaquam idem videtur tradere, sed indicare, hos pedites acriter urgentibus Romanis se recepisse ac postea, quum Afri Romanos cingerent, certamine exclusos esse. *) Videmus igitur

---

*) Mecum consentit de hac re Conr. Heusing. ad h. l.

eos, dum Afri cum Romanis legionibus dimicant, otiose stantes in media acie, unde nisi subducantur, non poterunt in dextrum cornu pervenire. Atque ecce jam subducti e media acie! Ut vulgo haec verba leguntur, non habent, quomodo intelligantur; Hispanis Gallisque peditibus optime conveniunt.

Restat igitut, ut de eorum duce quaestionem habeamus. Principio pugnae Hannibal ipse eos duxerat, quod Polybius expresse tradit (III, 113): ἐπεὶ δὲ πάντ' ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν ἐξέτεινε, μετὰ ταῦτα λαβὼν τὰ μέσα τῶν Ἰβήρων καὶ Κελτῶν τάγματα προῆγεν; postea Hannibal ad Afros sinistrorsum se contulit, eosque in pugnam duxit, nam Polybius ita de laeva mediae aciei parte (III, 116): καὶ γὰρ οὗτος (ὁ Ἀννίβας) ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ τούτοις τοῖς μέρεσιν ἐπέστη τῆς δυνάμεως (neque aliter Livius; vid. init. cap. 49). Ergo Galli et Hispani pedites, nisi se conjunxerant cum Afris, id quod Livius quidem non videtur cogitasse, duce erant orbati. Id quum Hannibal sciret, quia ipse eos reliquerat: Hasdrubalem, quem proelio equestri defunctum ad Hannibalem, ut ejus imperia acciperet, propere se contulisse verisimile est, retentis apud se equitibus, *) Gallis et Hispanis peditibus ducem misit. Id ne uno quidem verbo Livium indicasse confiteor, verum cogitasse certissime persuasum habeo, et hoc nomine eum vituperandum esse concedo, **) simul autem id humanum esse intelligo. Neque si his positis omnes difficultates tollantur, quemquam fore spero, qui non lubentissime, quamquam argumentis extrinsecus petitis carent, pro veris habeat.

---

*) A quibus si Hannibalem Afrosque jam antea adjutos fuisse Livius ab auctoribus accepit, non est mirum, Afros jam superiores fuisse, quum Hasdrubal cum Gallis Hispanisque adveniret, eumque Romanorum caedem potius perfecisse, quam momentum attulisse ad victoriam. Vid. p. 10.

**) Omnino Livium haud ita raro in similis negligentiae reprehensionem incurrere satis demonstravit acerrimus vitiorum Livianorum castigator, Wachsmuth. (Die ält. Gesch. des röm. Staat. p. 39 sqq., ubi not. 43. etiam nostrum locum attigit).

Atque ita est, legimus enim:

„Quum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala jam spe proe„lium esset: Hasdrubal, qui ea parte praeerat subductis ex „media acie, Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, „ad persequendos passim fugientes mittit; Hispanos et Gallos pe„dites Afris, jam prope fessis caede magis quam pugna, adjungit."

Quod si cui ne ita quidem hic locus satis placet; nam, ut intelligeretur, qui essent illi ex media acie subducti, addendum fuisse Hispanorum et Gallorum nomen: non dubitamus id ita inserere:

„Hasdrubal, qui ea parte Gallis, Hispanisque praeerat sub„ductis ex media acie, cett." Nam facillime poterat excidere, quum id librarius supervacaneum esse putaret, quia his ipsis Hasdrubalem jam antea praeesse meminerat. Atque ea fortasse una corruptionis caussa est.

Praeterea pro jam Afris, transpositis vocibus, Afris jam dedimus, quod etsi non omnino necessarium est, tamen quia in multis codd. exstat, aptius videbatur.

In extremo jam libello non possumus, quin contra Heusingeri opinionem moneamus, nobis quidem Livium, quum dicit: „Quum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala jam spe proelium esset," de uno cornu sinistro, non de duobus cornibus videri loqui; nam etiamsi equites Romanos magis fugisse, quam cecidisse, Livius scribit, tamen nullum ibi tum hostem fuisse, vel inde apparet, quod Hasdrubal, eo loco relicto, jam in dextrum cornu pervenit.
